

TH. atqui ita opust. *CH.* ah metuo qualem tu me esse 20
hominem existumes.

TH. immo hoc cogitato : quicum res tibist peregrinus est,
760 minu' potens quam tu, minu' notu', minus amicorum hic
habens.

CH. scio istuc. sed tu quod cavere possis stultum ad-
mittere est.

malo ego nos prospicere quam hunc ulcisci accepta iniuria.
tū abi atque obsera ostium intu', dum egō hinc transcurro 25
ad forum :

volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. *TH.* mane.
765 *CH.* meliust. *TH.* manē. *CH.* omitte : iam adero. *TH.*
nil opus est istis, Chreme.

hoc modo dic, sororem illam tuam esse et te parvam virginem
amisisse, nunc cognosse. signa ostende. *PY.* adsunt. *TH.*
cape.

si vim faciet, in ius ducito hominem : intellextin? *CH.* probe. 30
TH. fac animo haec praesenti dicas. *CH.* faciam. *TH.*
attolle pallium.

770 perii, huic ipsist opu' patrono, quem defensorem paro.

THRASO GNATHO SANGA CHREMES THAIS vii

THR. Hancin ego ut contumeliam tam insignem in me
accipiam, Gnatho?

mori me satiust. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.